

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 758

**Auteur(s) :** Guillaume le Roux, du Quesnay [particulier]

**Bénéficiaire(s) :** Le Tréport, Saint-Michel (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1259, septembre

**Action juridique :** vente

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Vente à l'abbaye d'une rente de six sous, par Guillaume, dit le Roux, du Quesnay

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Laffleur de Kermaingant Pierre, *Cartulaire de l'abbaye de Saint-Michel du Tréport (ordre de Saint-Benoît)*, Paris, Didot, 1880, n° CCI, p. 225-226.

Texte établi d'après a

Notum sit omnibus, presentibus et futuris, quod ego Willelmus, dictus Rufus de Kesneto, vendidi et concessi dominis meis, viris religiosis abbati et conventui de Ulteriori Portu, sex solidos annui redditus super totum tenementum meum, quod de ipsis tenebam apud Kesnetum ad campum et ad villam, pro quinquaginta quinque solidis turonensium michi pre manibus solutis ; et aboutavi Hugonem, fratrem meum, et heredes suos dictis abbati et conventui, et successoribus eorum, ad solvendum eisdem predictos sex solidos annuatim ad Nativitatem Domini ; quos sex solidos dictus Hugo, et heredes sui, michi et heredibus meis debebat, ad predictum terminum, de uno jornali terre de tenemento meo, quod ei tradideram hereditarie tenendum, quod adjacet, ex uno sui latere, ad terram meam et, ex alio, ad masuram Johannis Anglici, et aboutat, ex uno sui termino, ad keminum ville et, ex alio, ad terram meam ; tenendos et habendos dictos sex solidos annui redditus dictis abbati et conventui, et successoribus eorum, et de dicto Hugone, fratre meo, et here[dibus] suis, eisdem abbati et conventui, et successoribus eorum, annuatim ad predictum terminum persolvendos, libere, quiete et pacifice, absque contra[diction]e vel reclamatione de me et heredibus meis et de dicto Hugone et heredibus suis de cetero facienda. Et si dicti solidi sex annui redditus [a di]cto Hugone et heredibus suis ad terminum prenotatum non solverentur, dicti abbas et conventus, et successores eorum, poterunt [nen]miare predictum giornale terre et totum aliud tenementum meum, ubicumque fuerit ad campum et ad villam, pro red[ditu] et pro emenda. Hanc autem venditionem ego, predictus Willelmus, et mei heredes, dictis abbati et conventui, et successoribus eorum, contra omnes tenemur garantizare. In cuius rei testimonium, presenti carte sigillum meum apposui. Actum anno Domini M. CC<sup>o</sup>. L<sup>o</sup>. nono, mense septembri. Testibus hiis : domino Roberto, presbitero de Horneio, Petro Brien, Leodegario Basset de Asigneio, Picardo le Sourt, carpentario, Gaufrido de Vauchel et pluribus aliis.